

xit: scalisque silentio noctis muro admotis, omnes copias 1209
 sine tumultu, sine ullius cæde, in urbem transmisit. Qua
 recepta, Stephanum Sanutum urbis Praefectum cum pleris-
 que aliis in vincula conjecit. Eo nuncio percusus hostis,
 ad pacem animum adjecit: quam his conditionibus a Te-
 pulo impetravit: ut deductis ex omnibus locis, quæ in in-
 sula habebat, præsidiis (tota enim fere ora quæ a Milopo-
 tamo ad Spathæ promontorium, illius præsidio adhuc te-
 nebatur) cum navi una longa & urserio uno, ac pluribus,
 si ad trajiciendas copias pluribus opus esset, iisque non suis,
 sed mercede conductis, Creta relicta, in suas insulas trans-
 ret. Hæc cum Duce pactus, fide data acceptaque, milite
 in naves imposito, maturo digressu suum insulanis ocium
 Sanutus restituit. Hæc fere sunt quæ de secunda Creten-
 siū defensione tradunt illi, quos vidimus: quibus haud
 adduci possum, ut alio nomine id bellum quam civile ap-
 pellem: neque ut credam Marcum Sanutum consilio Cre-
 tæ Venetis adimendæ arma sumpsisse, sed ut Ducem
 ipsum, cum quo apertas gerebat inimicitias, tota insula
 ignominiose depelleret. Etenim haud intelligo, quo consi-
 lio, quave fiducia ille in suos cives, in patriam, & quod
 eum ante omnia a tanto scelere deterrere potuisset, in in-
 victum ad eam diem populum arma vertere voluisse: quum
 certo sciret, non modo non Cretam, sed ne illas quidem,
 quas ad eam diem possederat insulas, Venetis in se armis
 versis, aliquo se modo retenturum. Cæterum quid levius
 fieri potuisset, quam eorum hostes oppugnare, cum quibus
 se paulo post bellare statuisse? Non enim ille Malliacum
 Comitem ex insula ejecisset, si eam Venetis aliquo modo
 voluisse ademptam. Quin similius vero est, æmulatione
 quadam, ut fit, ac simultate, quam post victoriam cum
 Duce exercuerat (quandoquidem uterque studiosior alte-
 ro, ac magis de Republica meritus videri vellet) ad id
 bellum compulsum: ac tum demum armis tentasse illum
 ex insula ejicere, quo pulso, satis suam Venetis fidem pro-
 batum iri existimabat, si eam suo præsidio defensam, pa-
 catam illis restituuisse. Sunt præterea aliqua, quibus addu-

*Creta pa-
cata.*